

766 M5
3

21

3

14

1619

Rara

73

9437

16

8 P.M. Lot 4.

48/73/9437(3)

1619 B9

STEPHANI KOVATSCHTOCT


O R A T I O,

A D

SIGISMUNDVM III. RE-
GEM POLONIÆ, HABITA ANNO
M. DC. XV. MENSE SEPTEMBRI, CVM NOMINE
Serenissimi Transylvaniæ Principis GABRIELIS
BETHLEHEM, legatione fungeretur.

Et

COPIA LITTERARVM EIVSDEM PRIN-
cipis Transylvaniæ ad Bohemicæ Directores datarum Albae.
Julie 18. Augusti 1619.



Excusum,


ANNO M. DC. XIX.

87

О Р Т А Я О

48/73/9437(3)

Ч Л И М У Д И В И Г И К
О Н Н А А
З И М О В С
С Т В О Р Е С



LIBRARY

anno MDCXIX

800 K

ORATIO
AD SIGISMVNDVM
III. REGEM POLO-
NIÆ,
STEPHANI KOVATSCHYOCR.



V M A N Æ P R V D E N T I Æ,
Sacratisima Regia Majestas, non vltimam partem crediderim, rerum
etiam alienarum, præsertim quæ nos
affinitate, aut coniunctione aliquâ
attingant, summam vbi opus fuerit,
curam atq; rationem habendam: ne-
que illos errasse, qui proximi parie-
tis casum pro proprio ducendum suaserint; simul etiam
qui optimam officiosamq; vicinitatem fraternitati &
cognitioni sanguine junctæ prætulerint.

Siquidem quotidiana docemur experientiâ, quieun-
que alienis periculis, præcipue vicinioribus non moven-
tur; serò illos infelicitatem propriam deplorare: vicissim
solidam synceramq; vicinorum amicitiam ac vires ad o-
mnes necessitudines conjunctas, contra bellorum for-
tunarumque impetus ingentibus etiam Thesauris præ-
ferri.

Quæ omnia utinam, Rex inclyte, alienis & exterio-
ribus, non domesticis, proh dolor, exemplis ostendere
possem, At ea, quæ oculis vidimus, testari; quorum peri-

8
culis expositi, aliquoties exilio, sanguine, cicatricibus, re-
rum charissimarum amissione, ferro, igniq; & devastatio-
ne, vix vitam, vix spiritum vitalem redemimus: ea inquā,
testari, aut detegere cui vitio verti posset? Negare, Rex
inlyte, nec ipse, nec circumstans amplissimus Senatus,
promiscua autem multitudo mulcē minus potest; intesti-
nam Transylvanorum discordiam, quæ aliquot annis
non sine periclitacione regnorum vicinorum duravit,
Polonis etiam ipsis perplurimo sanguine constitisse; &
nescio, an fatali rerumpubl. conversioni, vel vitijs homi-
num, corruptæq; naturæ, quæ diros casus sæpe, dirac; fata
accelerare solent, adscribendum; vel verò in æstu fervo-
req; bellorum, quasi cōtagione aliquâ correpti, mutuoq;
moti exemplo, regna vicina vicinis, populi populis, na-
tiones nationibus calicem furoris Domini ex ordine pro-
pinando, fatalibus annorum curriculis jam elapsis (qui
absit ut vnquam recurrent redeantque) non modò ex-
ternis, sed internis ac intestinis motibus quassata, lacera-
ta, distracta, ac penè extremè devasta conspiciuntur.
Nam et si ab intestinis motibus, reliquis vicinis Regnis
longè majores calamitates & ærumnas patria nostra
perpessa est; quis tamen negare potest, non ijsdem civili-
bus motibus Hungariam etiam, deinde Poloniam, postea
Austriam, Moraviam, Bohemiam, Belgarum ac Veneto-
rum nationes, ac nunc Romani Imperij etiam Robur im-
mobile cum florentissimis rebus Italiæ periclitatum esse,
& nunc quoque periclitari?

An non etiam communium Christiani nominis ho-
stium Turcarum Tartarorumque hoc ipsum persuasit, la-
ceravit, ac summopere afflixit Imperium? Ex quibus lu-
culentissima nostri ævi, & quidem domestica Exempla
docent, salutari pace è medio populorum, amore & cha-
ritate ex cordibus hominum sublati, nihil in terris recte,
utiliter & cum laude agi posse, sed omnia periculis, con-
fusio-

fusionibus, ruinis & vastationibus scatere. Vnde, si quæ labes aut macula nomini Transylvano plus quam cæteris Regnis adscriberetur, dum penitus rem totam quis oculos posuerit, mentemque ad vñiversalia, cum consideratione totius mundi, Regnorum & Provinciarum, exponerexerit, nihil in Tranſylvaniâ, æquè ac in alijs totius orbis terrarum Regionibus, præter fatalem Regnorum, rerumq; publ. conversionem, quæ propter peccata mortalibus hominibus ab ævo communis fuit, reperiet.

Ast, vbi jam divinâ præfulgente misericordiâ, animos potentissimorum orbis Monarcharum, Regumque imprimis ad pacem inclinatos audimus, suam nobis Astræam Deus de cælo rursum remittere videtur, nobisque qui vivimus tāquam è generali rerum omnium Cataclysmo, in exemplum Noë Patriarchę ereptis, ad meliora (quod in æternum sit durabile) tempora reservatis, signa pacis, signa salutis ostendit, maximasque animorum conjunctiones, & publicæ concordiæ occasiones præmonstrat.

Ad quid ista quasi balbutiens, & extra Pomerium, quod dicitur, Rex inclyte, narro, sine loco, sine Scopo profero? Non ita de me judicet obsecro, sed aures modò mihi Regias patienter accommodet: cum Scopo, locoque hæc à me posita esse, hoc ipso momento videbit. Est mihi animus, Regiæ Majestatis & affectum & favorem benignissimum, erga Transylvaniam, Illustremque ejus Principem, Dominum Dominum meum clementissimum rationibus & perpetuâ necessitudine conjungere. At labor aliquis conjungendi eò loci necessarius est, vbi aliqua præcesserat alienatio. Eam certè generalem, Deo ter Maximo sit laus, hoc tempore non agnosco. Privatae aut particulares injuriæ, uti publico voto & consilio non factæ, ita etiam optimis quibusque rationibus sopiendæ. Ergo vbi nulla generalis alienatio, frustra suscipitur labor ibi conjunctiōnis.

8
Præmisí aliquot verbis & exemplis, Rex Serenissime paulò antè ab ipsa experientia desumptis, in omnibus i- stis Regnis & Provincijs publicis viguisse grassatasq; esse pericitationes, & multis maximis horren disque exant- latis fluctuationibus , novam quasi rerum faciem indu- etam. Ideoq; hominum ingenia in ipsis periculis ab invi- cem alienata,rursus ad culturam veteris pristinæque ne- cessitudinis,non quidem magno, sed qualicunque labore sunt reducenda. Eâ in re vt multum ego temporis aut la- boris insumam , Rex Serenissime, non arbitror esse ne- cessarium.

Nam si ad originem rerum Hungaricarum mentem oculosque converto, non video gentem ullam vel vicini- tatem, quæ majoribus necessitudinis vinculis inter se sit obstricta, atque Polonica cum natione nostrâ Hungaricæ ac in particulari gloria & paretusta familia Jagelloni- ca,ex cuius Serie etiam Majestas Regia, in splendido isto regni Polonici Throno gloriatur, arctissimo sanguinis & officiorum præstitorum vinculo nationi Hungaricæ jun- gitur. Supra animam immortalem(quæ pars Dei immor- talis est) humano generi nihil est è superis concessum; quam quidem absque cognitione sui creatoris & Salva- toris errare & perire in æternum credimus. Viciissim co- gnitione cultuque religioso servi salvariique in æter- num profitemur : Hanc autem, quæ certissimam anima- rum nostrarum salutem adfert, Religionem Christianam Jagello Dux antiquus Lithuaniae , nonnè medio & be- ficio gentis Hungaricæ, id est Serenissimæ Hedvigis filiæ Ludovici I. Regis Hungariae sibi desponsatæ, accepit, cum qua simul & Regiam dignitatem nominis in Ladislaus mutatione post sacrum lavacrum accepit : indeque con- versio ad fidem Catholicam totius gentis Polonicae & Li- thuanicae secuta est.

Quod nam etiam maius fortiusq; argumentum con- iun-

iunctionis esse potest, quam supremæ dignitatis, supremique honoris erga se invicem communicatio est. At aliquoties legimus nunc Vngaros ex Poloniâ, nunc Polonus ex Hungariâ ad Regium fastigium lectos & electos.

Communes etiam amicos & communes habere inimicos, non leve, neque exiguum amoris necessitudinisq; vinculum putatur. Certè nobis tacentibus, coniunctas aliquoties cum viribus Hungarorum, Polonorum vires, vicinæ gentes cum maximo rerum suarum detimento sensere. Ac insignis in ævumq; memorabilis est, VVladis- lai secundi Regis optimæ memoriae, infelix ad Varnam, contra hostes Christiani nominis T urcas, pugna: qui pro salute totius Christianitatis sanguinem Polonorum cum sanguine Hungarorum eodem prælio profluvioque miscere non est veritus, qui vel ex eo veterum Martyrum gloriam facilè adæquare meo iudicio poterit, quod post conflictum nec vivum, nec mortuum usque reperiri potuisse, historici ferè omnes perhibent.

At aliquis eiusmodi coniunctionem ad breve spatiū, & integris adhuc rebus Hungaricis durasse obiectabit: Frustra hoc faciet; Nam res ipsa reclamabit, virtutis Polonicae gloriam fato quodam inevitabili, tam univer- salem ad gentem Hungaricam, & in particulari discretè ad Transylvaniam esse ligatam derivatamque: Serenissimus enim Ioannes I. Rex Hungariae Serenissimam Isabellam Regis Poloniae filiam vxorem dicens, post factio- nes intestinas, cum filio Ioanne II. quasi Iure hæreditario Transylvaniam obtinuit & possedit. Et quamvis fatorum invidiâ Regulus optimus præmaturâ morte raptus suc- cessorem de lumbis suis relinquere non potuerit, non ta- men statim Polonicum cum Transylvanis vinculum ru- ptum, sed suas in hoc arcani cælestis & fatorum necessi- tas exemit vires, quod libero Regnicolarum suffragio è grege numeroq; Magnatum loco Ioannis II, electus Ste- phanus

phanus Bathoreus in regium Regni Poloniae fastigium
raptus atque tractus est: quem in suo nunquam satis lau-
dando regimine, hostibus formidini, amicis gloriæ, toti
reipubli Polonicæ decori atq; perpetuo ornamento, flo-
ruisse certum est.

Sed nec ipso è vivis sublato Transylvaniæ cum Polo-
nis necessitudo expiravit; Nam in adeptione Regni, feli-
ciique inauguratione V. Serenissimæ Regiæ Majestatis,
contra æmulos eosdem (qui nunc jam affines & benevo-
li) coronam cū ipso Regno præripere studentes, Baltha-
zar Balthareus, Ioannes Bornemisza, Georgius Barbelij,
alijque ex proceribus & magnatibus non contemnendo.
Transylvanorum auxilio, adjuvantes (Orbis ista novit v-
niversus) fideliter & utiliter operam fortitudinemque
suam militarem, cum insigni celeberrimoque triumpho
declararunt: Eadem adhuc manet Transylvania, Rex Se-
renissime, idem annus, cùm iusta bonaque occasione o-
ptimis vicinis, necessitate requirente inserviendi modo
eo, quo convenit, nos quoq; amoris & benevolentiae vin-
culo amplecti & prosequi videamus. Nam quod attritas,
diminutasque pristinas vires nostras domesticas quis co-
gitaverit, brevi illas Dei opt. pacisque adeptæ beneficio
refarciemus, & nunc quoq; spero, quam fama vulgaris
volitat, longè esse meliores. Cæterum ut ex istis generâ-
lioribus ad personam eius, cuius præcipue legatus sum,
Illustrissimi nempe Principis & Domini, Domini mei
clementissimi, mea recurrat oratio, neque Sua Celsit. pa-
rentis charissimi, per quem in lucem est editus, officijs &
beneficijs antea ab eo prestitis, Polonicâ necessitudinei
caret. Nā post Avum Gregorium Bethlehem, qui Domi-
nus Zeorenien, & ex quinq; proceribus vñus post Regem
summâ in Hungariâ authoritate fungebatur. Patrius Ga-
briel Bethlehem Prefectus & supremus Capitaneus aulice
militie fuit Budę, seu Ioannis I. cuius paulò antè mentio-
nem

nem feci. Eius Aula, ob matrimonium ex Regiâ stirpe
 Polonorum contractum, referta Polonis, amicitia & affi-
 nitatibus mutuò sè invicem procul dubio amplexi sunt:
 Pater verò VVolfgangus Bethlehem, nequaquam à pa-
 ternâ virtute degener, singulari fortitudine & bellicarum
 rerum dexteritate in aulâ Serenissimi Stephani Regis si-
 militer præfecturam capitaneatumq; aulicę militię ade-
 ptus est. Vbi vivos testes adhuc dubium non est reperiri,
 qui in expeditione Moscovitica ac contra Rebelles sin-
 gularem eius virtutem & præstantiam videre potuerunt.
 Signanter certum est contra Gedanenses insignem & vix
 credibilē victoriam, 4000. adversus viginti quatuor mil-
 lia pugnantib. ipso duce & Authore consecutam: In expu-
 gnatione Plocensi aliquot in urbem impressionibus, Du-
 cis simul & strenui militis officio feliciter perfunctum es-
 se: Contra Turcas in Hungaria Iuvenis tantum nominis
 adeptus, ut sui temporis æquales facile superaret: Vnde à
 D. Stephano arce bonisq; præclarissimis donatus, tam ab
 ipso quam posteris eiusdem in maximo semper honore
 habitus est: Suam verò Cels. naturâ avitę paternęq; virtu-
 tis diligentissimam emulatricem, eo tempore hac luce
 frui contigit, quando ferox & crudelissimus Mars exter-
 nis què ac intestinis motibus patriam nostram afflictissi-
 mam, continuis viginti annorum curriculis miserrimè
 vexavit. Vnde, vix benè ab Ephebis excesserat, quum belli
 aleas supra vires & etatem tentare coactus est: ac ut inter
 infinitos casus, sors atq; fortuna tulit, virtutis & magnani-
 mitatis præclara edidit specimina. Triginta quatuor iusta
 numerare prælia, quibus interfuerit, nervorum incisio-
 nes, ossiū fracturas, costarū rupturas, cicatrices hinc inde,
 quę sepe à Turcis Tartarisq; perpessus est, ostendere potest:
 ac multis eiusmodi exantlatis laborib. gradum atq; digni-
 tatem patrii parentisq; ut præfetus aulicę militię Tran-

Sylvanorum fieret, adēquavit. Nunc autem Dei beneficio,
& statuum ordinumq; Regni liberrimis suffragijs, in sum-
mam quorūdam privatorum invidiam & æmulationem
ad Principatus etiam dignitatem evectus est. Quis enim
cognovit mentem Domini? aut à Consilijs illius fuit? qui
in cœlo terraq; quicquid vult, liberè perficit, nec est qui
eadem repeatat, cur hoc vel illud faciat. At nemo plenam
laudem, si fortis tantum & non etiam boni viri officio
perfunctus fuerit, consequitur; qui tantum feruentis &
semper ferocientis Martis artibus inter mortales famam
nomenque sibi vendicando, terrori solummodo & con-
fusioni, non autem amori boneque societati locum ali-
quem quæsiverit. In Illustrissimo Principe Domino Dr.
meo semper clementissimo non talem naturalem sedem
sibi fixisse manereque, acta factaque luculenter ostendūt.
Verè & non ad oculum ostētate Magnanimitatis signum
infallibile ponunt sapientes, Clementiam & cum hone-
state coniunctam Patientiam. Constare autem non vici-
nis solum Regnis & Provincijs, sed orientis eque ac occi-
dantis, imò utriusq; poli mansoribus arbitror, eo, quo Sua
Cels. Principatus habenas sibi moderandas accepit tem-
pore. Quām confusa, miserabilis & afflictissima conditio
Transylvaniæ fuerit: internis simul & externis motibus
adeò flagrabat, ut fervorem furoremq; tot gentium, fer-
ro, igni, rapinis omnia vastantium, multi inextinguibi-
lem arbitrarentur: labore, industriâ, quanta fieri potuit
indefensâ, non solum mitigavit, sed sua quemque ad loca
discedere coēgit. Mox ferocientes & multum tumultuan-
tes subditorum animos, à se invicem, non secus ac si nau-
fragium passi fuissent, disiectos & alienatos, multâ lenita-
te, sapientiâ & prudentiâ in sacro-sanctam Vnionem, iu-
sticię ac scriptarum legum disciplinam iugumq; salutaris
obedientię portandum effecit idoneos. Invidos, & tante
sortis

fortis emulos, aut rebellionem, cui tot continuis tempe-
 statibus quasi assuefacti fuerant, meditantes, sanctâ qua-
 dam dissimulatione (quę sola & perpetua beati regimi-
 nis salus est) ad meliorem mentem revocavit; aut cautis-
 simè, in primis statim initijs, summâ & inauditâ clemen-
 tiâ extiuxit: Alios verò, quod maximè mirandum, naturâ
 ferè & quasi ab incunabulis, non secus ac si exotico quodā
 morbo, continuâ inquietudine laborantes, qui horren-
 dis calumnijs rumoribusq; ad omnia momenta conflictis,
 nomen honoremq; S. Cels. lacererunt, nunquam tamen
 adduci potuit, ut verborum certamine, quod mulierum
 est proprium, cum illis congrederetur, sed auribus pati-
 entissimis prætereundo, innocentiam & factorum acto-
 rumq; iustissimam rationem (quę apud omnes cordatos
 plus valere, quam dubiæ & ex rumoribus sparsæ crimina-
 tiones debent) illorum figmentis apposuit; interim veni-
 am admisiorum facinorum, & favorem amicabilem (si in
 meliorem sensum redire maluerint) planè & aperte illis
 offerendo. Apud exterios quoq; cum paribus paritatem
 & officiosam vicinitatem absque reprehensione coluit;
 quos autem Deus in excelsiores dignitatum gradus eve-
 xit, animi, quam par est, submissione & humilitate, justis &
 honestis rationibus, in gratiam & favorem illorum sese
 insinuando, ignotos pariter vel alienatos sibi ipse benevo-
 los & amicos facere studuit; præsertim, cum præter opi-
 nionem multorū, cum Sac. Cef. Regiaq; Majest. miro quo-
 rundam incitamento, non leves differentiæ subortæ fue-
 rant, nunquam interea quiescere, nullis sumptibus & la-
 boribus parcere voluit, donec omnibus illis sublati, &
 sopitis, non tantum simplicem inde sibi adsecuritatem
 acquireret, sed propensissimum favorem Seren. M. Cef.
 sibi suisque rebus efficeret in æyum addictissimum.

Hoc ipsum etiam & non aliud, apud M.R. Vestram.

8
Rex Serenissime, hac meā legatione intendens, ut Regem tam potentē & pium, Regno finitimum & longā multaq; necessitudine addictum, feliciter Regnantem, modis atq; rationibus æquissimis & honestissimis sibi rebulq; suis vti-lem favorablem̄q; redderet.

Quem etsi ob insignem ejusdem pietatem & debitu Christianitatis officium suā sponte etiam optimè erga S. Cels. regnumq; Transylvaniæ affectum esse crediderim, sui tamen muneris esse putavit primitiasq; obsequiorum & promptitudinis præfunctoriā ista legatione ostendere.

Nec vlla subesse potest, Rex Serenissime, justa ratio, quæ ab ista S. Cels. promptissima voluntate, Vestrā Ser. deterreat, imò maximæ solidæq; causæ in promptū sunt, quæ ad illam amplectendam fovendamq; moveant. Nam quicquid Gens Polonica Transylvaniæ, vicissim inclyto Regno Poloniæ invicem debent, totum illud & omne, tam V. M. quam S. Cels. V. Majestati ex officio gratitudinis & vetustissimæ necessitudinis debent.

Sicut enim nemo mortalium V. M. nocere potest, quin eo facto inclytum Regnum suum Polonię offendat; ita etiam S. Cels. absq; offensione Transylvaniæ offendiri non potest. Semper enim salus atque casus Regum atque Principum, saluti & casui regnorum sunt coniunctissima. Quam vetusta autem & inviolabilis, imò hæreditaria necessitudo Transylvaniam cum inclyto Regno Poloniæ copulet, paulò antè longā satis serie ostensum: ita ut neq; ex V. M. R. nec sua Cels. partibus sine insigni ac maximo periculo (quod D E v s opt. avertat) violari vlo vñquam tempore possit. Sed neq; persona S. Cels. vlla ratione V. Majestati R. displicere poterit, cum & præstantissimis ora-ta maioribus, bellicā fortitudine ac magnanimitate Heroica clarissima, felicitate in rebus gerendis continua, & talis

7

talis qui tam amicos, quam inimicos Marte simul & arte
excipere novit. Aliae vero & aureæ pacis artibus tanto-
perè pollet & delectatur, ut in illis etiam non otiosus, sed
erga omnes officiosus appareat ; Ruinarum Patriæ insi-
gnis restaurator, erga pares vicinos æquissimus; erga ma-
iores obsequentissimus, ac ut omnibus ex æquo & hone-
sto placeat studiosissimus.

Talem igitur tamq; præstantem Principem, quis est
qui in suum favorem non admitteret? Quis est qui rei ce-
ret: quem certè S. V. M. R. non dubito, quin propensissi-
mo suo affectu, & benigno studio, cum suis omnibus am-
pleteatur. Denique in Symbolum majorum officiorum
suorum erga M. V. R. deinceps declaradorum, munuscu-
lum levidense, Equum unum Asiaticum generosum, cum
suo apparatu Regio dono eidem S. C. misit. Quod ut æqui
bonaque consulat, ex animo cupit.

DIXI.

Copia Litterarum

PRINCIPIS TRANSYLVANIAE AD BOH
emiac Directores datarum Albae Iuliæ 18.

Augusti 1619.

Illusterrimi Domini Amici nobis observantissimi, &c.
Servitorum nostrorum commendatione præmissa: O-
ptandum sanè bonis omnibus videbatur, ut statim à pri-
mo periclitacionis rerum Bohemicarum inicio, publica
tam incliti Regni calamitas, non nisi incertis ijsq; diversi-
ssimis apud nos circumducta rumoribus, à viciniорibus
rei Christianæ studiosis, Principibus ac Dynastis in eam
vocata fuisset sollicitudinem; quā nobis tanto locorum

intervallo dissidijs, prius de complanationibus earum sa-
lutiferis, laxa, quieta & pacata omnia, quam de iniurijs in-
vicem perpetratis innotescere potuisset. Sed cum ab eo
temporis spacio, nec Regia Serenissimi Domini Ferdi-
nandi Clementia, nec cura aliorum Principum tantum
valuerit, ut tam noxium in Christiana Republica incen-
dium, ullum vel repressionis, vel extinctionis modum in-
venire potuerit, qui exacerbat in dies vtrinque homi-
num animis, longe lateque serpisse, divagasse, majoresq;
sibi vires eundo acquisivisse, palam est. Vnde in tantâ re-
rum Christianarum perturbatione & longe maiorum
hinc assurgendorum periculorum certissimâ expectatio-
ne, utrum otiosos saltē spectatores nos esse, vel animum
manumque curae ac salutari sollicitudini in medium ad-
hibere debuisse convenerit? facilè sanorum omnium ju-
dicio subiçere licebit. Nam cum Patria hæc Regnumque
nostrum in apice ac faucibus Turcarum constitutum sit,
qui in suis consilijs, instar fluctuum vastissimi maris, nun-
quam quiescere, sed ad minores qualescumque Christiano-
rum discordias arrestis animis intentissimè vigilare
soleant, præsertim nunc, cum in Afîa Persiaque res suas
pacatas habeant, scientes nullum istorum in Europâ mo-
tum sine nostro motu, nullum periculum sine nostro pe-
riculo versari: ut & ipsis nocendi, & in Regna viciniora
irrumpendi, occasionses præcluderemus: & scepitis quan-
toctius Christianorum dissidijs, rem vndique in maiorem
longe, quam haec tenus securitatem locaremus: Duo simul
& semel nobis attentanda proposueramus: Vnum, ut
favorem, voluntatemque imperatoris Ottomannici ad
parandam talem concordiam nobis redderemus devin-
ctissimam: alterum, ut statum simul & intentionem Ve-
strarum Illust. Dominationum in nosq; affectum habere-
mus quam exploratissimum. Igitur Deo præpotentissi-
mo

mo Duce & consultore, cùm fatales vtrinque occasiones
ita occurrerint, vt & de Illust. D. D. Vestrarum animi in
nos propensitate & alacritate, ex literis earundem die 14.
præsentis Mensis certiores facti simus: Et ex Porta 17. e-
iusdem assensu & favorem, supra quam sperabamus in
conservationem rei Christianæ accepimus. Talibus jam
iactis & præparatis fundamentis, quantumvis nos multæ
magnæque Domus Austriacæ, Romani Pontificis, alio-
rumque ipsis faventium authoritates & potestates à tali
instituto deterrebant: Vicit tamen Zelus pro gloria Dei,
vicit fides & pollicitatio à Vest. Illustrissimis D D. pro-
prio, & Ordinum nominib. per nostrum Marcum VVai-
vvodam allata, quam cum justa veneratione amplecti-
mur, omni morâ & cunctatione postpositâ, in nomine
domini Dei Exercituum, itineri nos statim accingemus,
ac nisi in Hungariâ causæ morarum (quod nequaquam
speramus) nobis objectæ fuerint, maximis conatibus
mense Septembr. ad fines Moraviæ contendemus.

Interim Illustrissimas D D. V. amanter & sedulo mo-
nendas existimantes, ne cum hostibus yllam belli aleam
interea periclitari velint, sed se suaque solummodo dili-
genter tutando, viribus integris adventum nostrum o-
mninò præstolari studeant: spem firmam in Deo haben-
tes, junctis animis, junctis consilijs longè certiore facilio-
re que modo hostes à nobis depellendos fore. Quod vt
pro voto nostrorum omnium ac felicissimè succedat, Di-
vinum Numen assiduè ardenterque implorandum. De
reliquis negotij circumstantijs à fideli nostro nobili Ste-
phano Hattvvanij præsentium allatore ore tenus etiam
Vestris Illustrissimis Dominationibus referenda com-
misimus.

Quarum amori, sinceritati & constantiæ nos, no-
straque omnia diligenter commendantes, easdem fe-
liciter



253.

líciter ac prosperè valere exoptamus. Datum in Ci-
vitate nostrâ Alba-Iulia die 18. Augusti , A N N O
M. D C. XIX.

Illustriſſimarum Dominationum Vestrarum

Amicus benevolus ad service-
dum paratus

GABRIEL PRINCEPS

SUPERSCRIPTIO.

Illustriſſimi Dominis, Sacre Coronæ & Regni Bohemia Direc-
toribus & Consiliarijs, Dominis Amicis Nostris obſervan-
dissimis, &c.

Præſent. Pragæ 7. Septemb. 1619.

GP

480/73/09437(3)

RARA

X13<7309437300017

2

+ colorchecker CLASSIC



2